CONRADUS DE SOLTAU

Entstehungsort unbestimmt, 1421 Seite 71r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35120
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



cum pre suo in illa rebellione contra
moysen de qua habetur Numeri 16.
Tamen audita reprehensione moy-
si penituerunt et totis visceribus
ad dominum conversi fuerunt. Et sic secundum
Augustinum inter ceteros deputati fuerunt
ad decantandum psalmos quorum
ille est unus. Sed secundum Ieronimum tunc
filii chore qui manserunt postea
habuerunt a domino spiritum prophetiam
et fecerunt psalmos quorum ille est
unus. Et secundum hoc duplex est sen-
sus tituli ut patet. De materia
huius psalmi dicit magister Nico-
laus de lyra quod psalmus ille fac-
tus sit de statu populi israel cum
fuit in captivitate regis Babilo-
nie quam previdit auctor huius
psalmi. Et dicit magister Nicolaus
de lyra quod ille psalmus apud he-
breos non est distinctus ab illo qui
sequitur immediate scilicet iudica sed
simul sunt unus psalmus. Tamen
in translatione Ieronimi distinguitur
et quia apud latinos sunt duo
psalmi. Et sic magister Nicolaus
de lyra exponendo hunc psalmum
de predicta captivitate dividit
eum in duas partes dicens quod in
prima describitur desiderium liberatio-
nis. In secunda tedium dilationis ibi fue-
runt michi. Circa primum in persona
devoti populi existentis in cap-
tivitate sic dicit Quemadmodum
desiderat etc. i. ut reducat ad ocu-
lum tui vultus scilicet in Iherusalem. Et sic
consequenter verba huius psalmi
possunt satis convenienter ad illam
materiam applicari. Sed quia
ille intellectus ut sic est satis
planus et non tangit aliquas
historias vel hoc speciales ideo
prosequar intellectum glosa ordinaria que
dicit quod per filios chore in titulo
debemus intelligere imitatores Christi

in loco calvarie crucifixi. Circa cho-
re interpretatur calvaria. Et dicit glosa
quod psalmus ille spiritualiter est decan-
tatus. Et est primus eorum et sequuntur
alii duo scilicet 83 et 133. Et est psalmus
ille contra seculi tristitias ne nos
a sancto desiderio retrahant. Duas
habet partes primo describit quid et
quanto ardore vere fidelis desiderat
in secunda hortatur animam ne ulterius
tristetur sed gaudeat ibi Quare
tristis es. Circa primum sic dicit Quem-
admodum etc. dicit glosa. Quod natura
cervi est ut postquam senio gravatur
tunc naribus suis haurit
serpentem per quam renovat suam
iuventutem quia illo hausto cor-
nua deponit et antiquos pilos
et sic renovatur. Sed tunc veneno
serpentis ascendente sibi ad caput
incipit cervus nimia siti ardere.
Et sic cum suo conatu desiderat ad
fontes aquarum ut possit se re-
frigerare et sitim extinguere.
Et figurat hic quemlibet fidelem
qui hausto serpente scilicet veneno
viciorum vult econverso viciorum et
cornua superbie sive pilos an-
tiquorum peccatorum deponere. Et secundum
illud Apostoli vult renovari qui
dicit Renovamini etc. Ephesios 4. Ideo
recte desiderat ad deum quem-
admodum patet sensus ex predictis
sic determinat et exponit desi-
derium suum quia poterat ut cervus
desiderare ad fontes causa biben-
di sive lavandi. Ideo dicit Sitivit
i. sine me desideravit determinando
quod predixit i. ad Christum magister Ni-
colaus de lyra dicit constanter
quod debeat dici fortem et non
fontem. Et una glosa etiam
sic exponit. Sed venit nimis
in usum quod dicitur apud nos
fontem quando veniam sub interrogatione

de cervo et eius natura